



DE PROCVRANDA
INDORVM SALVTE.
LIBER SECVNDVS.

*Quibus modis Prædicatio Euangelij apud
barbaros aggredienda sit.*

CAPVT PRIMVM.

*Difficile esse rationem tradere prædicandi
barbaris Euangelium.*



V. E. duæ res maximè inter se disti-
dere videntur, annuntiatio Euange-
licæ Pacis, & intentatio bellicæ gla-
dij, eas necio quomodo nostra hæc
tempora non solum coniunxerunt;
verum vt necessariò coherentes certa lege sanxe-
rent. Et reuera complurium barbarorum hunc
nouum orbem incolentium ingenium eiusmodi
est, vt nisi more ferarum, aliqua ratione cogantur,
vix vlla spes sit, aut profus nulla, fore ali-
quando, vt humanitatem libertatèque filiorum
Ephes. 4. Dei induant. Porò altera ex parte Fides ipsa ve-
luti

luti reclamatione Dei esse donum, non opus homi-
num, & suapte natura ita liberam, vt qui coactam
velit, nullam potius efficiat. Itaque hæc sibi adeò
repugnantiã conciliare, & certam aliquam inire
rationem, vt intelligentiã vera luce consulant,
& studiosa charitatis industria cohereant, maius
omnino opus est, quàm vt nostra diligentia, aut
ingenio perfici possit. Sed, qui simul nuptias præ-
claras in Euangelio ac verè regias apparauit, simul
conuiuas non nisi laceros & pannolos ac barba-
ros profus offendit, docebit pro sua diuina sa-
pientia seruos suos, qua ratione neque ad epulas
admittant indignos, neque quantumvis tamen
illiberales & fordidos tanta Domini liberalitate
frustrentur, etiam si honesta quadam vis, ac vo-
luntaria, vt ita dicam, compulsio afferenda sit.
Huius tam difficilis negotij in conuersione Bar-
barorum dux & magistra charitas est, quæ omnia
sustinet, omnia sperat, quæ non agit perperam,
neque cogitat malum, & vt semel omnia dicam,
non querit quæ sua sunt. Charitatis verò vene-
num singulare cupiditas est, pessima fidei propa-
gandæ ac nutriendæ nouerca, patrona mendacij,
temeritatis magistra, comes violentiæ: quæ mam-
monæ seruos specie pietatis interdum induit, sed
virtutem eius funditus abnegat atque euerit.
Funditus igitur extirpanda est, si in ouile Christi
per ostium cupimus introire, quam plurimos, nam
qui contra fecerint, Religionis Christianæ am-
pliandæ prætextu Christi nominis infestissimos se
hostes præbebunt, eruntque de eorum numero,
de quibus perspicuè Propheta prædixit. Et eos qui
transibant simpliciter, conuersitibus in bellum, cau-

Luc. 14.

1. Cor. 13

Mich. 2.

DE PROCURANDA INDORVM
fam paulo superius attulerat, Quoniam contra
Deum est manus eorum. Et concupierunt agros,
& violenter tulerunt & rapuerunt domos, & ca-
lumniabantur virum & domum eius, virum &
hereditatem eius. Hos alius quoque Propheta
mihi compellare videtur: cum ita vehementer in-
uehitur: Vae qui congregat auaritiam malam do-
mum suam, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se
putat de manu mali. Cogitasti confusionem do-
mum tuam, concidisti populos multos, & peccauit
anima tua. Quia lapis de pariete clamabit, &
lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est,
respondebit, & reliqua; quæ sequuntur, vaticini-
um sanè in multis istorum melius oculi cer-
pant, quam legunt in Prophætæ codice. Auaritia
quidem manifesta est omnibus, & auaritiæ causa
nidus excelsus ambitionis: vnde magnus error
consequitur hominum, sibi vt putant consolen-
tium, cum potius, & sibi, & suis ruinam parent.
Mirabile dictu est, quam cito multorum opes ef-
fugerint, atque euauerint, vt ad nepotes ex tanta
re vix aliquid perueniat, occulto Dei consilio,
sed manifesto adeo effectu, vt eas omnes copias
præstigias putare homines possint. Viderint ergo
hi, an ad ipsos pertineat, quod Propheta loquitur,
& concidisse populos multos ac domum suam
confusionem potius cogitasse, quam splendorem
& gloriam. Sed de his alio loco dicendum
est. Illud modo teneamus, quod est omnium ma-
ximum, & præcipuum fundamentum, In hac
disputatione de ratione prædicandi Barbaris Euan-
gelium, Cupiditatem nullo modo esse audien-
dam, cuius suffragio periclitetur Fides necesse est:

Charita

Charitatem verò prudentem pro Magistra semper
habendam, quæ cum fideliter salutem proximo-
rum quaerit, inter difficiles causas viam inuenit,
& omnibus rationibus agit, vt consequatur quod
cupit, & quamvis impedimenta interdum multa
patiat, felices tamen Deo bene iuuante exitus
fortiri solet.

CAPVT II.

*Propter Infidelitatem etiam pertinacem
non licere barbaros debellare.*

EXISTIT verò hoc loco quaestio à multis qui-
dem copiose grauitèrque tractata, sed neces-
sariò nobis quoque repetenda. An charitatis Chri-
stianæ sit barbaros bello domare, vt debellati Fidei
prædicationem recipiant. Illud autem primum sit
in causa barbarorum, Non esse facienda mala, vt
veniant bona, quod sentire blasphemæ genus in-
terpretatur Apostolus. Bella ergo si iniqua sunt,
suscipienda non sunt, etiam si certam salutem, vel
dimidio orbis allatura videantur. Quamobrem
si nullam aliam parere viam prædicationi inter
Indos contaret, quam belli expeditione non ius-
ta, clausam potius illis Euangelij ianuam oportet
existimare, quam vt lege Dei perfecta ad
eiusdem legis obierunda prædicationem irum-
petetur. Si enim ea proposita quaestione, vbi quis-
quam baptizandus in potestate sit impiorum, at-
que infidelium constitutus, ad quem perueniri
non possit vt lauacro regenerationis ablatur, ni-

August. lib. contra Mendacium, c. 20.
 si deceptis mentiendo custodibus, Augustinus Theologiae decus ita respondendum existimat, ut clauium omnino reputandum sit, vbi ad subueniendum animae aeternae salutis solum per mendacium aditus patet, quis non videat, quanto facilius responderet, si ostium fidei ferro iniusto aperiendum sit, clauium potius existimare oportere: Sed quoniam documentum hoc omni dubitatione vacat, quae sunt consequentia videamus. **Queritur, An iusti belli causa in barbaros sit infidelitas ipsa, quod Euangelium repudient: Sed breuiter & absolute, iusta causa non est infidelitas, quae solum Deum habet iudicem, & vitorem. Qui incredulus est, inquit, ira Dei manet super eum.** **Et, Qui non credit iam indicatus est. Et, Qui non crediderit condemnabitur. Hoc ad illos sanè. Ad nos verò quid: Si non receperint vos, exeuntes excutite puluerem pedum vestrorum in illos. Non dixit, stringite gladios vestros in illos, iacula eubrate. Quomodo verò iacula aut gladium intendere praeciperet, qui etiam virgam & baculum de manu abstulerat: Qui non solum inermes ad praedicandum mittit, verum etiam seminudos, discalciatos sine pera, sine argento. Neque enim ait, Ecce ego mitto vos lupos inter oves, sed oves potius inter lupos. Quam speciosos pedes Euangelizantium pacem, annuntiantium bona. At, quam terribiles pedes minantium gladium, effundentium sanguinem. Et si armandi sunt milites Christi, qui bella Domini exercituum praeliantur, sed longe aliis armis, quae Paulus magnus dux ostendit, State succincti lumbos mentis vestrae in veritate, & induti loriceam iustitiae, & calciati pedes**
 in

*Iohan. 3.**Iohan. 5.**Mat. 16.**Mat. 10.**Rom. 10.**Esai. 52.**Nahum. 1.**Ephes. 6.*

in praeparationem Euangelij pacis, & reliqua, quae enumerat. Dicit aliquis, **Quid si verba non profunt, & profunt verbera? Si pacem oblatam fastidiunt, bellum intentatum timeant? An non satius erit vel per vim saluos facere, quam per nimiam indulgentiam perire permittere? Rectè ista quidem, si in subditos proferantur. Infideles vero quod nobis ius subiecerit, quare: & inuenies Paulum, qui de data sibi à Christo potestate gloriatur, se inde colligentem, **Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nonne eos, qui foris sunt, Dominus iudicabit? Legamus sanctorum Patrum commentarios, certam sententiam Apostoli consentienter docentium, Ecclesiae ius & fas non esse in infideles, sed in eos tantum, qui per ianuam baptismi ingressi sunt in ouile Christi. Quamobrem Augustinus in quodam sermone alloquens quosdam Christianos, qui ethnicorum se sacrificiis contaminauerant: De iis, inquit, qui foris sunt, nos non iudicamus, illis blandiendum est, ut credant, in vobis putredo haec resecanda est. Et mox, Non tollo, inquit, idola illorum, quia non habeo in illos potestatem, habeo autem cum fuerint facti Christiani. Diuine quoque Bernardus Eugenium admonet libro de consideratione secundo, Vicario Christi non dominatum in orbem, sed Apostolatum conuenire. Nam Principes gentium dominantur eorum: at non ita erit inter vos. Neque ante paratum se Paulus dicit vicilci inobedientiam suorum, quam illorum prior fuerit completa obedientia, id est, ut alibi Augustinus interpretatur, non ante in quemquam agere lege fas est Ecclesiastico viro, quam per Fidei obe-**
 dientiam**

*1. Cor. 10.**c. 13.**1. Cor. 5.**Aug. 10.**ad ser. 6.**Ber. 2. lib.**de consid.**1. Cor. 10.**August.**epist. 50.**ad Boni-**facium.*

88 DE PROCURANDA INDORVM
 dientiam se ipse Ecclesie sponte submittat. Siue
 ergo infideles sint, & Christum ignorent, siue an-
 nuntiarum etiam rejiciant, nobis in illos belli
 decernendi ius nullum est, nulla honesta causa.
 Quam sententiam satis autoritate sua confirma-
 uit D. Thomas, cum perspicue docuit, ad Eccle-
 siam non pertinere infidelitatem in illis punire,
 qui nunquam fidem receperunt. Et quoniam ma-
 gna copia est eorum, qui ista accuratè exposue-
 runt, illud solum admonendum arbitror, veniam
 iis, dare oportere, si qui sint, qui zelo fortassis po-
 tius, quam scientia ducti, dum summi Pontificis
 nunquam satis commendatam autoritatem am-
 plificare pergunt, etiam extra septa Ecclesie gla-
 dium illius, & leges proferri volunt, quod tam est
 absurdum, ut à nemine melius confutetur, quam
 ab ipsis summis Pontificibus, & Ecclesie Catho-
 licæ perpetuo sensu, atque vltu, quæ nunquam in
 Paganos, aut Iudæos, quod Christi fidem respue-
 rint, animaduertit, neque religionis diuersitatem
 causam belli iustam interpretata est. Quando nam-
 que vel minimum iurisdictionis actum Ecclesia
 exercuit in infideles per mille quingentos annos?
 Quando legem tulit? Quando denique sibi subiecti
 nolentes coegit, vel etiam attentauit? Nisi fortè
 temporalem dominarum gentium iure obtinen-
 tes, etiam temporales leges sibi subiectos infide-
 les, Christiani Principes tulerint. Quod quia sine
 controvèrsia omnes sentiunt, qui modo ali-
 quid sentiunt, non est, quoddam morosa disputatione
 reuocetur in dubium.

*Th. 1. 1.
 9. 11. 6. 1.*

*Concil.
 Trid. sess.
 14. 6. 1.*

CAPVT III.

*Quod quibusdam visum sit, propter cri-
 mina nature contraria, licere nostris
 barbaros debellare.*

QVONIAM verò infidelitatis etiam pertinacis,
 & positivæ, ut loquuntur Theologi, cri-
 men sibi, viuorum, & mortuorum iudici, pu-
 niendum, Christus referuari voluit, neque vlla Ec-
 clesiastica lege in rebelles animaduerti fas est, il-
 lud diligentius discutiendum est, quod potest se-
 rio in questionem vocari, An seposita causa Fi-
 dei ob id possint Barbari debellari, quòd crimina
 multa eademque atrocia perpetrant contra ius
 nature. Itaque vtrum possint necne cogi, ut ab
 idololatria abstineant, à nefariis facris, & collo-
 cutionibus, quas cum ipso Diabolo perquam
 frequentes habent, à concubitu masculorum, ab
 incestuosa pollutione fororum ac matrum, &
 reliquis id genus flagitiis? Nam facinora longum
 esset commemorare, quomodo alij alios in dicta
 causa enecent, computationes ac remulencias
 suas cruore misceant, humanis multi cambus
 pro summis deliciis vescantur, alij pueros inno-
 xios simulacris macent, alij suorum inferias alio-
 rum sanguine peragant, plerique potentiam ad
 nihil aliud, quam ad nocendum, & seuendum,
 sibi datam arbitrentur, periende, atque immanes
 fera,

feræ, quæ naturaliter gradu inferiores ac viribus imbecilles pecudes, prædæ suæ vendicant: vt idem sit apud istos dominari, & prædari: nihil aliud subditum esse, quam potentioris libidini obnoxium esse. Quanta sit, & quam latè patens hæc feritas barbarorum in hoc vastissimo orbe, qui ritus portentosi, quæ legum ac dominorum tyrannis, referte exacte, iusti voluminis opus esset. Historia Indica: quanquam multa narranti; exigua tamen est portio præ illis, quæ res ipsa habet. Verum quod ad rem pertinet, certum est mores Indorum plurimorum esse ferinos, vt quod fabulæ canunt de quibusdam facie quidem homines esse, corpore vero aut pisces, aut sues, aut lupos, id verum esse nostri barbari suis moribus probent. Fremunt ergo nostrorum hominum turba ac tumultuatur, cum ista audiunt, aut etiam inuentur: horum se scelera vtiores æquissimos, milites putant: quicquid contra nefarios naturæ violatores ferro, cæde, incendiis sauerint, gloria ducunt, ac tum demum excursionem suam in barbaros laude ac præmio, & apud Deum, & apud homines dignissimas iactant. Neque vero huic vulgari opinioni patroni desuere. Nam vt omitam eorum sententiam, qui penes Ecclesiam & Ecclesie caput Rom. Pont. ius esse ad hæc Ethnicorum crimina plectenda statuerunt, qui non tam nostra quam Apostolica voce iam dudum explosi sunt, cum de incestuoso flagitio Corinchi illius (quod contra naturæ leges pugnare quis nesciat?) suos, id est, Christianos acriter obiurgans, eorum, qui foris sunt nempe Paganorum sumilia crimina ad se nihil pertinere testatus est.

1. Cor. 5.

est. Illi porro probabilius aliquid afferre sibi videntur, qui huiusmodi ius ad vindicandam naturæ contraria scelera, non Ecclesiasticum, sed naturale esse volunt penes optimum quemque Principem, qui possit ac debeat in Remp. perditis legibus ac moribus institutam; si verbo audiens non fuerit, ferro decernere, & belli iure subiectis istas leges imponere. Quod si ab iis quaras, cum multi Principes, sapientes, & probi, vel sint, vel sibi esse videantur, cui potissimum hoc opus delegandum sit, respondent, in hac re vt in cæteris natura communibus, primo occupanti locum eedere. Ipso ergo iure naturæ barbaros istos posse ab Hispanis debellari, quibus per Rom. Pont. provincia hæc demandata sit, quicque victicia signa primi vltra Herculis columnas extulerint, & ad immensa terrarum spatia omni antiquitate hæcenus ignota prouexerint. Neque mirum esse si fortunis suis exciderint Indi, cum potuerint propter sua mala merita etiam vita spoliari iustissime. Et quoniam quibusdam dicere aliquid videntur, & magnopere cum populari sententia istorum consentit oratio, quæ pro causa argumenta afferant, recitamus necesse est. Aristotelis, inquit, sententia est, qui in libris Politicis ita scripsit: Quod potest mente prospicere, natura imperat, & dominatur: quod autem potest corpore hoc facere, patet natura, & seruit. Et mox, Barbari quod natura dominetur, non habent: quamobrem aiunt Poëtæ, Græcos barbaris dominari oportere, quod idem natura sit barbarus, & seruus. Cum ergo barbari isti nostri supra modum barbari ac ferini reperti sunt, neque mentem

Primum,
Arist. 1.
Pol. c. 1.

tem habeant ad se, & sua regenda idoneam, natura ipsa comparatum est, vt illis subint ac parent, qui dominati recte possunt, atque eos secundum naturam leges conuenienter regere. Quod si repugnent, debellari posse iuste idem author as-

1. Pol. c. 5.

*Lib 7.
Pol. c. 14.*

*Aug. 5. de
Ciu. c. 12.
8. Tib. de
Reg. Pri.
c. 4. §. 6.
1. Mac. 8.
Secu. Ann.*

*Cypr. lib.
de Exhor.
ad Mart.
c. 3. §. 5.*

firmat. Bellica, inquit, vi vti oportet contra bestias, & contra eos homines, qui ad parendum nati sunt, nec volunt parere: quia natura id bellum iustum existat. Alibi quoque Philosophus suam hanc sententiam de iusto bello in barbaros amplius explicat ita scribens: Neque exercitatio rerum bellicarum ob id est meditanda, vt in feruitutem adigant immerentes. Sed primum ne ipsi aliis feruire compellantur. Deinde vt imperium querant gratia vtilitatis subiectorum, non ante omnia dominationem. Tertio vt eis dominentur, qui feruire sunt digni. Hec ille. Atque huc pertinere videtur aliqua ex parte Romanorum historia, qui quoddam aequi, & boni obseruantes foverent, omnium potius existimantur, quidam ita decemente consilio, quorum imperium a sanctis Patribus laudatum legimus, & quod est amplius in ipsis diuinis libris. At in finis partibus praestant Christiani barbaris, quam olim Romani ceteris. Secundum sic, Filij Isracl ob idololatriam atque scelera debellarunt Amorhaeos, & reliquas gentes, quarum scriptura meminit, vt libri Iosue, & Sapientiae copiose docent. Cur ergo non liceat Christiani veri Dei cultoribus iniurias illius vltisci, & ad verum vnus Creatoris cultum idololatrias reuocare? Quam rationem Cypriani confirmat autoritas, si ante aduentum Christi, inquit ille, circa Deum colendum, & idola spernenda,

nenda, haec praeccepta seruata sunt, quanto magis post aduentum Christi & caetera? Praeterea, si in lege naturae viuerent homines, quando nulla erant regna diuina, nondum Respub. collocata, liceret sapienter, & probo viro improbum a malefactis compellere, vel verbo, vel vi, liceret de pertinace penas sumere; nisi velimus naturam aded sui oblitam, vt nullum constituit naturaliter suarum legum iudicium, nulli potentiam ad dominandum derulerit. Igitur ad eundem modum Reipub. bene instituta barbaros, & illeges fas erit ad rationis iura compellere. Alioqui inmanissima scelera naturaliter, & multa, & inemendata, imò ne emendabilia quidem permaneat necesse est, quo nihil videtur absurdius. Adde quod si pueri, vel homines stupidi & semiaudentes Reipub. aliquam gubernarent, & idque cum insigni detrimeto subditorum, liceret profecto vicinis Principibus lege charitatis, & iure naturae si non possent aliter perditam illorum administrationem emendare, armis & vi, magistratus, & populum cogere, vt aut sibi Principem crearent idoneum, aut si ne id quidem effici possit, Reipub. ipsius administrationem suscipere per seipos, multum licet reclamantibus illis. Atqui natio Indorum minus habet, vel aequitatis, vel prudentiae, & iudicij, quam pueri, & semiiniani. Quid ergo culpatur si vel ab iniuitis pro ipsorum salute, & pace eripitur Principatus? Postremo innocentem ab iniuria, & caede defendere quis potest, atque si opus sit, aggressorem multare fortunis, & vita ipsa. Manifestum vero est inter istos innumerabiles innocentium caedes perpetrari,

*1. c. Si
audierit.
Terrium.*

Quartu.

Quintu.

94 DE PROGVRANDA INDORVM
trari, cum & obuios quosque capiunt, & trucidant, & in suos quosque immaniter faciunt, pueros, feminas, & miserabile genus neci dantes, adeo vt cruore humano macelli cuiusdam instar permulta loca redundare comperta sint, quorum testis locuples esse potest Mexicana Prouincia. Quamobrem non licere solum, sed etiam quam maximè expedire barbaros ita insanientes bello domare, rationi consentaneum apparet. Hæc potissimum sunt, quæ pro causa belli Indici asserti à nonnullis solent.

CAPVT IV.

Confutatio superioris sententiæ.

Verum si partium studiis sepositis, quæ tanquam nebule quædam crassæ veritatis lumen abscondere solent, lex ipsa æterna confutatur, non dubium est, quin purissimis radiis omnem hanc caliginem, quæ nobis offunditur, depulsura sit, dilucide ostendens, æquè esse iniustum, si vel non iusta fiant, vel quæ iusta sunt, non iustè fiant. Iustè quod iustum est exequeris, ait diuinus Legissator; quam rem præclare explicat Dionysius magnus, & diuinæ, & humanæ sapientiæ ponderat. Infideles sane, idololatrias, maculorum concubitores; incestuosos, sine federe, sine misericordia, parentibus non obediētes, ingratos, scelestos, & quibusvis aliis nominibus vetè notatos coerceri; mulctari fortunis, atque

*Deut. 16.
Dionys.
epist. 8. ad
Demophilum.
Rom. 2.*

que ipso capite plethi, iustitia, & æquitate plenum est, quis hoc neget? Verum à quo, & qua autoritate, id verò quaeritur. Neque enim quia tu peccasti, iudico mihi statim de te pœnas sumere fas est, nisi & ius ego in te habeam, & causâ tuam legitimè transigam. Neque verò si Respublica aliqua peccet leges condendo flagitiosas, & turpes, aut si moribus perditis Princeps ac Magistratus labefactantur, continuò ius erit Reipublicæ vicinæ, aut Principi leges ferre meliores, iniustos compellere, vt recipiant, & seruent, non obsequentes ferro aggredi, repugnantes bonis, & vitæ exuere. Etenim si tantum licentiæ Reipublicæ in Reipublica tribuas, nihil aliud agas, quam vt breui vniuersum terrarum orbè perturbes, & discordia, ac cædibus impleas. Melius, melius omnino diuina, incommutabilis, atque æterna lex sanxit, nullius vnquam emendanda sapientia, aut temeritate violanda, vt id iuris Principi in Principem, Reipublicæ in Reipublica sit, quod artinet ad leges ferendas, & scelera profliganda, quod est ciui in ciuem, priuato viro in priuatum. Vbi illud solum interesse voluit clarissima ingenia, quæ totam hanc rem copiosissimè, & dilucidissimè prosecuta sunt, vt non modo fas sit Reipublicæ se defendere contra aggredientis iniurias, quod etiam priuato licet, vt vim repellat vi, verum etiam iam acceptas propria autoritate vindicare queat, quod priuato nequaquam licet, id ita docente ratione clarissima, quod ciuis ac priuatus habeat apud quem expollet, vbi repetat, à quo iniuriæ recompensationem merito expectet, publicum Magistratum: at Respublica, contra Reipublicam alteram

ram nullum habet, quod adeat, commune tribu-
nal; ac nisi ipsa propria autoritate vlciscatur in-
iurias, futurum sit, vt rebus omnibus lesa repa-
rari nullo modo queat. Quæ cum ita se habere
tum in ipsa naturæ luce veluti in aperta lege no-
tassent, tum perpetuo ab ipso mundi exordio de-
cursum ab omnibus mortalibus seruata, quotquot
iusticiæ qualemcûq; prætextum bello gerendo
præferrent, animaduertenter, sapientes omnes &
nostri, & extenu iam solam causam bello aggre-
diendo æquam, & iustam statuerunt, ad resarci-
enda damna, & iniurias vindicandas, vel suas, vel
suorum, id est ciuium, aut sociorum, aut eorum
etiam, qui iniquè læsi ipsorum opem imploras-
sent. Præter hanc causæ acceptæ iniuriæ, aut vio-
lati iuris gentium, nullam nostri maiores iustam
agnouerunt, neque gloriæ quærendæ, neque cu-
mulandarum opum, neque amplificandi domi-
natus, neque verò religionis propagandæ. Quot-
quot verò non læsi arma sumpserunt, eos prædo-
nes potius, quam milites vocitandos censuerunt.
D. quidem Augustinus suo ipse ingenio, acerrim-
us questionum obscurarum indagator, in hac
vero etiam Manichæorum calumnijs, & Ethni-
corum contra Fidem Christianam opprobrijs ex-
citarus, sæpe ac diligenter totum hoc de bello ge-
rendo negotium tractans, illud vbique constituit,
causam iustam belli solam esse iniuriæ depellen-
dæ necessitatem. Ita quodam loco, bella, inquit,
iusta defini solent, quæ vlciscuntur iniurias. Am-
brosius quoque cum de fortitudine in lib. de Of-
fic. disputaret, ita scribit: Non se ipsam commit-
tit sibi, alioqui fortitudo sine iusticiâ iniquitatis

Aug. 1.6.
Quæst. in
Iosue. c.
10.
Ambros.
1.1. off.
c.25.

mate

materia est, quo enim validior est, eo promptior
est, vt inferiorem opprimat, cum in ipsis rebus
bellicis, iusta bella an iniusta sint, spectandum pu-
teretur. Nunquam David nisi læcessitus bellum in-
tulit. Vides quale bellum Ambrosius iustum desi-
niat. Illud planè quo exemplo David non nisi læ-
cessitus Princeps arma induit. Hos Isidorus secu-
tus bellum iustum definit, quod ex edicto geritur
de rebus repetendis, aut propulsiuorum homi-
num causa. Denique bellum gerere necessitas est.
Quod etiam Tullius vidit, cum in tertio de
Rep. libro vt idem Augustinus refert (nam ad nos
non petuenit opus illud præclarum) definiuit nul-
lum ab optima ciuitate bellum suscipi solere, nisi
aut pro Fide, aut pro salute. Fidem intelligens ini-
tum cum socijs factus, salutem ipsam Reip. con-
tra oppugnantes statum. Et planè quotquot in di-
uinis literis à sanctis viris bella suscepta referun-
tur, qui ob id laudantur, quod fuerint fortes in
bello, quod castra verterint exterorum, à primo
illo quod magnus Patriarcha Abraham pro fratris
salute gessit vique ad extrema Machabæorum ge-
sta pro patria, lege, & libertate, semper mentio est
acceptæ prius iniuriæ, vt magis non reculata cum
esset opus, quam quæstia cum non esset, appareat,
excepto quod diuina autoritate quædam interdum
peracta sunt, quæ non humanis auspicijs sed
cœlesti præcepto ascribenda sunt. Sed vt vetera
omitamus, Ecclesiæ Catholicæ, quæ firmamen-
tum est veritatis, sensum atq; vsum tenerimus aper-
tè, quæ per mille quadringentos annos nunquam
in barbaros, aut paganos nihil non alijs lædentes,
arma, vel ipsa sumpserit, vel suis cõsuluit, cum essent

Isidor. lib.
18. cym.
c. Gracia.
Caus. 23.
q. 1. 2. c.
3.
Augu. ad
Bonifac.
Auguf.
lib. 22. de
cin. c. 6.

Heb. 11.
Gen. 14.

G

poten

potentissimi ac religiosissimi Principes, atq; constaret externos omni scelere obstrictos. Scit enim fidelis populus Dei Christum interpellatum à quodam, respondisse, O homo quis me constituit iudicem inter vos? Si legati nationis Indorum rebus suis componendis vitro accerferent nostros, haberet fortassis aliquid rationis eiusmodi introducta potestas leges ferendi, emendandi, puniendi. At nunc molestissime ferunt causæ suæ non vocatos iudices, vtroneos disceptatores, qui non solum leges, & ius dicant inuitis, verum iam olim admittis ferociter vindicent. An sapimus nos plus quam maiores nostri? An Fidei zelo vehementius ardemus? Omnino verum est, quod sanctissimus

Greg. lib.
11. Regist.
c. 19. dist.
45. c. qui
sincera,
idem l. 7.
dist. 45.

Mat. 16.

Gregorius de hac re scripsit, Qui Fidem asperitatis propagare volunt, suas magis quam Dei causas probantur attendere. Interim quis illud non videat, quam implacabile isto modo Christiani nominis odium apud barbaros excitetur: Quam graue, & immedicabile scandalum? Tota ista res vergit in obstinatam quandam inuidiam, & odium Fidei, & certam perniciem hominum. Neque verò scandalum istud separabile est vllò modo ab hac causa, aut in iis numerandum, quæ non data, sed accepta dicuntur. Christus quod non debet tribuere terras, si spoliemus, vexemus, prædemur, nullumne iustum timebimus scandalum? Res ipsa factis clamat per se. Neque enim ea exempla hæcenus vidimus, quæ licentia, & furori militari fræna laxanda persuadeant. Et quod caput est, Catholicorum nostrorum Principum leges longe aliter faciendum esse edicunt, quibus obedire par est, Quam

Quamobrem præclarissima & sui ordinis & nostri temporis lumina, quæ in causam Indorum propriè inciderunt, eiusmodi belli suscipiendi consilium, idque iuris grauissimè cum disputationibus suis, tum etiam scriptis de industria libris improbarunt. Quorum sententia iam dudum apud omnes obtinuit, Salmantino & Complutensi illustribus Gymnasis damnantibus, vt audio, atque explodentibus scriptum cuiusdam librum contra causam Indorum, atque ipso Catholici Regis Senatu longe aliam rationem in expeditionibus Indicis præcipiente, cuius æquitatem opportune exponemus, si prius obiectionibus supra propositis responderimus.

Cast. 2. 2.
966. art.
8. 8. 11.
ria Bel.
de India,
& de bel.
lo, n. 23.
24. & 40.
Suo in 4.
d. 5. q. 1.
art. 10.
& l. 4. de
inf. &
iur. 7. 2.
art. 2.
Anton.
Corduba
Minorit.
1. p. qua-
sionarj,
9. 17.
Con. 2. p.
relee. Re-
gul. Pec-
ca. §. 10.
Ad pri-
mâbict.

CAPVT V.

Responsio ad obiectiones pro expugnatione
Barbarorum.

AC primum quod sibi voluerit Philosophus barbaros natura seruos asserens, non est obscuro cernere, si paulo atius illius disputatio repetatur. Sentit & quidem sapienter, in Rep. bene constituta, natura ipsa docente, alios debere dominari, alios parere, sapientes & viros imperare, imperitos & feminas obedire, quod profecto verissimum est. Hinc colligit Græcos natura comparatos esse ad imperandum, quod essent sapientiores, barbaros vt pote nudes & imperitos ad seruandum.

100 DE PROCURANDA INDORVM
uiuendum. Quid obsecro veritus quam fenes
maturus præesse natura, adolefcentes obtempera
re, feminas virorum, pueros maiorum arbitrio
naturaliter regiam qui velit colligere ex his, à
barbaris imperium quod iam habent, eripere li
cere, eadem ratione conficiet, à femina, aut ado
lescente, ubi regnat, posse per vim extorqueri do
minatam, itémque à rege imperio regnum, & à
præsule indocto Pontificatum: quod omnibus, &
diuinis, & humanis legibus, quàm repugnet, nemo
non videat. Aliud est enim quid faciendum sit ex
ratione ac secundum naturam: aliud, quid fit fiat,
infectum fieri nequeat. Iure ergo sapientiores, &
elegantiores regnant: sed re ipsa imperitus, & bar
barus si regnet, non ius sed iniuria est, de regno
hunc pellere. Alloqui rapinæ, & cædi res mortali
um omnes expositas esse oportebit. Quod ex eo
dem Philosopho adiunctum est de iusto bello in
barbaros, qui seruire reculant, obscurius profecto
est, & quod suspicionem non exigam parit, illa
non tam ex philosophica ratione quam ex populi
lari quadam opinione profecta esse. Intelligi ta
men potest, si in hac quoque re Aristotelis autho
ritas magnopere conseruanda est, in eos barbaros
seruire nolentes bellum iustum decernere, qui
Remp. nullam habent propriam, neque Magistrat
us, neque leges, sed ritu ferarum incertis, & sedi
bus, & legibus vagantur: quales & fuisse olim, &
esse hodie quam plurimos notissimum est. Bellum
autem in hos non omnis illa cædis, & seruitutis
licentia cogitari debet, sed moderata quadam vis,
quatenus humane, & non bestialiter procius vite
re persuadeatur. Quod si Alexandri, vt quidam fe
runt,

SALVTE. LIBER II. 101
sunt, potentia delectatus, signa Macedonica in or
bem vniuersum profertur voluit, nobis non admo
dum curandum est, quid ille adulatoriè magis
quam Philosophicè scripserit. Quanquam non di
uersa à nostris sapiens, Rhetorica ad Alexandrum,
suscipiendum bellum esse constituit in eos qui
Remp. & eius siue amicos, siue socios iniuria vio
lare moliantur. De Romanis partim ad rem perti
nent, quæ afferuntur. Esti enim laudari solent, neq;
fortassis immeritò quod legibus æquioribus sub
ditos gubernarint, fœderas, & societates fidelissimè
custodierint; tamen multa vsurpasse tyrannicè ne
ipsi quidem distentur; ita non nemo dixit:

Non ius arma dedit: potius ius arma dederè.

A S. Augustino illorum imperia vocantur honori
fica latrocinia. Neque tamen, si me non fallit me
moriam, eorum historici celebriores bella gesta nar
tare solent, nisi quæ aut pro salute, aut pro Fide, vt
eorum dixit egregius author, suscepta videri vo
lunt. Nà quod de expugnatis Chanaanitis per Israe
litas asseritur, multò robustius nostram confirmat
sententiã. Nam cum sanctarum scripturarum tra
ctatores in eam questionem incidunt, diligenter
causas iusti belli exponunt, & vnam quidem po
tissimam Augustinus reddit, illud genus belli iusti
asserens, quod Deus imperat, qui nouit, quid cuiq;
fieri debeat, in quo bello dux ipse, aut populus non
tam author, quam minister iudicandus est. Vt ergo
præcipienti Deo necem filij innocentis, religiose
parui Abrahamæ, vtpote vitæ omnium Domino, ita
quoque vel Iosue filij Naue, vel quicumque alius
sententiam Dei in populos reos exequi debuit, &
iudici ac dominatori omnium manus ministras

*Aristot. in
Rhet. ad
Alex.
c. vlt.*

August.

*Ad cell.
dã c. i. c. i.*

*Aug. lib.
6. Quas.
9. 10. in
Iosue.*

præbere: neque tamen ob id liceat vel patri in filium vel principi in externum populum quantumvis impium, gladium stringere. Adde quod iudem sacri scriptores humanas rationes adiungunt, quibus ex iure gentium bella Hebræorum contra Amorrhæos & cæteros Palæstinos non iniquè gesta declarent. Eas modo persequi longam esset, & instituto non necessarium. Illud modo agimus, vt fiat perspicuum sanctos Patres nullo modo existimasse vel idololatram, vel quævis alia contra naturam piacula causam idoneam existisse, vt de loco suo pellerentur ille gentes, vastarenturque ab Hebræis, siquidem tam sollicitè causas alias exquirunt. Et reuera eadem sunt vel minus grauiâ nostrorum barbarorum crimina, quam quæ illorum scriptura commemorat. Ita enim de his loquitur liber Sapientia: Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhornuisti, quia odibilia tibi opera faciebant, per medicamina & sacrificia iniusta, & filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscærum hominum & deoratores sanguinis à medio Sacramento tuo, & authores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti per manus parentum nostrorum, & reliqua. Non opinor horribiliora obiici Indis, iis quoque, quos Carybes vocant, qui sunt omnium truculentissimi. Ob id aptè paulò inferius diuinam auctoritatem exitio illarum gentium interponens, subdit per interrogationem, *Quis enim imputabit tibi, si perierint nationes quas tu fecisti?* Non enim alius est Deus quam tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas, quia non iniuste iudicas iudicium

Aug. lib.
44. quest.
9.4. super
Num. 11.
20. & ser.
105. de 18.
pore.
Cassi. annu
c. 11. s.
cap. 24.

c. 12. Sap.

Sap. 11.

cium. Hoc est, non inuadis aliena, neque vsurpas iniquè iudicium, si gentes impias cogis commeritas pœnas suorum scelerum dare. Cypriani verò ineptè profertur auctoritas, cuius longe alius sensus est. Suscipiens enim illo opere causam Martyrij agere, idolotum cultum vult adeo Christiano viro execrandum, vt quidvis potius perpetiatur, quam id impietatis admittat. Quod vt confirmet, admonet, quam fuerit quondam infestus Deus Idololatria, vt ob id cæde grassari in exteris suis iusserit, quanto ergo tempore gratiæ reuelatæ amplius amare debet fidelis ob fugiendum idolotum cultum sanguinem quoque proprium fundere? Ita enim concludit, si ante Christi aduentum circa Deum colendum & idola spernenda hæc præcepta seruata sunt, quanto magis post aduentum Christi seruanda sunt, cum ille veniens non verbis tantum nos hortatus sit, sed & factis, post omnes injurias & contumelias passus quoque & crucifixus, vt nos pati & mori exemplo suo doceret. Hæc Cyprianus. At verò quod de lege nature assertatur, militat potius pro causa Indorum. Nequè enim iure Naturæ priuatus de priuato pœnas sumere possit, neque vim aliquam coercendi haberet, cum sint omnes homines natura pares. Quoniam vero mores institui rectè non poterant, neque Societas in officio contineri, placuit omnibus publicam potestatem creare, in quam jus suum quisque transferret, quæ proinde & leges condere, & supplicio afficere peccantes autoritate totius multitudinis in se transfusa possit. Quod si Magistratus, aut Respublicæ barbarorum suo muneri non facit satis, habet iudicium

Cypr. c. 51
de Eschor.
ad Mar.

Ad teiis
obid.

iudicem Deum, non Rempub. aut principem aliquem externum. Alioqui cum grauissima peccent interdum Principes, aut Magistratus nostri, licebit, vel Gallo, vel Italo, vel Anglo, Hispanienfis Rcipub. peccata castigare, & ius dicere, vt vicissim inter se Principes hac autoritate fungatur. Hoc neque ineptius, neque rebus humanis exitius dicitur quicquam potest. Neque vtro vbi subditorum consentit voluntas, praesidentium soliditas, atque insipientia potest per vim compesci. Itaque si Principes barbarorum inique ac tyrannice tractarent suos, possent innocentes per vim (si secus non esset locus) ab illorum scelere, & iniuria eripi. Sin autem corruptio morum ea est, quam ipsi quoque subditi libenter sequuntur, non possunt ab extraneis compelli ad virtutem. Neque est eadem ratio in pueris, & amentibus Rempub. administrantibus. Naturale est enim, vt pueri non dominantur in viros, cum puer etiam si sit omnium haeres, nihil à seruo differat teste Paulo, ac multo minus infans in mentis compotes iuris aliquid esse potest, quemadmodum, neque bellua in hominem. At barbari isti, & imperantes, & seruientes aequè vel sapientes sunt. Quare si ligna syluestria, vt est in antiqua parabola, Rhamnum sibi praetermissa oliua, sicu, & vite, Regem creant, quid mirum si illius incendio concrementur? Hoc enim in summa interest, quod barbarus non natura, sed studio, & moribus talis est, puer, & amens non studio, sed natura. Quamobrem quae barbari peccant, non est cuiusvis animaduertere.

Ad quartam obiecti.

Gal. 4.

Iudic. 9.

CAPVT VI.

De bello propter defensionem innocentium, qui à barbaris trucidantur.

IN fine huius de bello disputationis non praeteribito sententiam illustrium Theologorum, qui defensionem innocentium, iustum titulum bello Indico posse praeterendi significant. Aiunt, si mores sint adeo tyrannici legesque, vt innocentes passim trucidentur, quod Carybes faciunt, vt eis vescantur, diisque suis immolent, tunc sanè temporis licere nostris, & cuiuis Principi cuiusmodi infelices homines à caede tyrannica eripere, ac si opus sit, ferro decernere, & barbaros ab ea immanitate reuocare. Cuius documentum manifestam esse rationem quod fas sit homini priuato innocentem de alterius nece, etiam cum inuaforis caede, si opus sit, eripere, multò ergo melius id Rcipub. licebit in Rempub. alteram. Vnicuique enim mandasse Deum de proximo suo. Et rursus, Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Addunt praeterea non obistere rationi iam dictae, si ipsi, qui occiduntur, sponte pariantur, & seipos offerant neci, imò etiam à nostris liberari inde quam maximè reuuant. Neque enim esse Dominos vitae suae, & planè quamvis libens patris irati mucroni, filius supponeret iugulum, liceret, nihilominus vel inuitum à caede eripere. Hac illi differunt: quibus equidem

Ad quintam obiecti.

Ecc. 17.
Prou. 14.

equidem nullo modo contradixero, cum sciam pro fide iuste suscipi bellum, si deo verò seruandam ei qui laesus à potentiore, ad nostra auxilia confugit. Innocentis verò defensionem à morte præsertim, etiam si ipse taceat, natura ipsa clamante, cuius valenti opem ferre, commendatam esse etiam atque etiam omnes quantum puto consentient. Itaque efficitur, iusti belli causam contra barbaros homicidas, defensionem innocentium esse. Verum hæc quamvis disputata subleuiter, si tamen conferantur ad rem parum accommodata inueniuntur. Cum enim defensio ista cum minimo lædenti damno adhibenda est, vnde neque domino spoliari barbari possunt aut vita, si possunt terrore aut subiectione aliqua contineri: tum verò nullius est rationis eos velle defendere; quorum grauiorem perpetres cædem. Constat verò copiosissime, bello Indico plures infinitis partibus absumi quam villa barbarorum tyrannide. Quare si moraliter loquendum est, vix poterit, vel potius nunquam omnino poterit suscipi belli aduersus Indos causa iusta in defensione innocentium collocari. Etenim quod & supra admonui & sæpe repetendum est, vastationis Chananæorum & terræ Palestinæ occupate neque hanc commemorant sancti Patres causam, cum profecto sacræ literæ manifestè doceant nationes illas omni scelere contaminatas, neque etiam à plurimo innocentium sanguine temperasse. In libro Sapientie legimus ad hunc modum: Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insanæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alium

Sap. 14.

alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat, & omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & periurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, anisurum conquinatio, natalitatis immutatio, inordinatio mœchiæ, & impudicitia. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium, & finis. Atque hæc quidem sunt illa opera gentium, quæ Dei populum didicisse ex earum consortio Propheta dolenter meminit: Commixti, inquit, sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruiertunt sculpsilibus eorum; & factum est eis in scandalum. Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculpsilibus Chanaan. Quæ eò fusius commemorata sunt, quò minus nostrorum barbarorum mores scædos, & sanguinarios miremur, cum sciamus familiare id fuisse perpetuò nefariæ idolorum culturæ, quæ, vt sapiens dixit, omnium malorum causa est, & initium, & finis. Ita demum intelligemus eas omnes, quæ à nonnullis aduersus Indos causæ prætexuntur, non defuisse antiquis iustis sub lege aut etiam sub Euangelio agentibus, contra sui temporis infideles, & barbaras nationes: sed nequaquam tamen eas satis esse existimasse, vt bello infestandas arbitrarentur.

Ps. 105.

CAPYT

CAPVT VII.

*Quod omnia iam de bello aduersus Indos
non solum diuina: sed etiam regia
lege firmentur.*

HAnd parum perfectum est, quod omnes belli causas aduersus barbaros, quæ nostrum ad illos ingressum antecedunt, remouimus, ut vulgari errore profligato putantium beneficij loco ponendum esse, quod barbaris pro agris, & libertate præcepta, Fidem Iesu Christi, & vitam hominibus dignam reddamus, quorundam etiam plus sapere volentium, quàm par sit, sententia perspicuè refellatur, qui nostris ad illorum scelera, vel compescenda, vel etiam plecenda ius faciunt: quod summæ potius iniuriæ tribuendum esse abunde, vt opinor, apparuit. Hinc iam consequens esse videbatur, vt exponeremus, quid illis faciendum sit, qui eiusmodi expeditiones in Indos secuti, fortunæ potiti, & opera ac seruitute miserum iure belli abusi sunt, quorum superstites sunt hodie quoque non pauci. An poterint excusari ignorantia? An sint restitutioni obnoxij omnibus modis tum ipsi, tum res ipsorum, ad quoscunque tandem deuolutæ sint? Et quid remediij tandem in tanta perturbatione afforti queat? Sed de iis quanquam est difficilis, & periculosa censura, tamen alio loco si Deus annuerit, dicitur opportune. Nunc vniuersè, ius, & iniuriam indicendi belli tractat

tractamus: atque illud tanquam totius actæ causæ firmamentum adicimus, quod cum in omnibus regnis Indiarum tam multa prelia commissa sint, & tot nationes subactæ; nullum tamen genus Indorum seruituti subiecit regia lex, quin potius Indos omnes, & liberos esse, & suis rebus liberè vti declarauit, grauissimis penis propositis, iis, qui veluti iure belli captos, sibi manciparent. Imò verò in omnibus expeditionibus quæ fiunt, faciendæ sunt, siue ad nouas gentes quærendas, siue ad iam quæsitæ peruestigandas, inuiolabili lege sancitum est, vt neque nostri milites aggrediantur non læcessiti ad vexandos, cædendosve barbaros, neque illos vnde cumque captos seruire cogant. Qua vna lege plenissime demonstratur, nullum belli ius nostris ex quantavis Indorum barbarie, & inhumanitate concedi. Superest vt quoniam, & diuinis, & humanis legibus bello læcessendi Indos omnis causa sublata est, hac exclusa via prædicandi Euangelium ijs, quos armorum vis subegisset, persequamur, an alius aliquis aditus pateat ad annunciandum gentibus Christum.

CAPVT VIII.

*Vetrem & Apostolicam Euangelizandã
rationem non posse exactè seruari
inter barbaros.*

TRIBUS igitur modis, quantum mihi diligen-
ter cogitanti occurrit, ad prædicationem
Fidei apud barbaros insiti potest: quorum nos-
tum æquitatem, tum prudentiam expendere ne-
cesse est. Primus est, vt more, & instituto Aposto-
lico, gratia Dei freti eant prædicatores ad gen-
tes, & prædicent Euangelium, omni militari re-
moto apparatu. Alter, vt gentes nouæ non adean-
tur, sed quæ iam fuerint principibus Christianis
subicetæ siue per ius, siue per iniuriam, iis demum
operam suam impendant verbi Dei ministri. Ter-
tius, vt adeant quidem, & prædicent Christum,
vbi nominatus non est, sed tamen humanis præ-
sidijs, & copijs adiuti, quibus seruentur illæsi. Ha-
bent autem hæ singulæ viæ, proprias & commo-
ditates, & difficultates suas, neque parum diuinæ
lucis expetendum est, vt intelligatur, primùm, an
quævis istarum probanda, improbandæ sit, tum
quæ debeat cæteris anteponi, si omnes sequi non
vacet, postremo quid in vnaquaque prouidendum
sit Christi seruo. Prima igitur illa non dubium
est, quin sit non solum officij, & æquitatis ple-
na, verum etiam omni laude superior, in ipso du-
ce, & Apostolo conuersionis nostræ Iesu Christo
primùm

SALVTE. LIBER II. III
primùm dedicata, deinde in sanctis eius Aposto-
lis illustrata, qui patientia sua, & eximia pauper-
tate potentiam mundi vicerunt, de quibus Esaus
præcinit: Conculcabit ciuitatem sublimem pes
pauperis, gressus egenorum. In quo genere Euan-
gelizandi prorsus Euangelico (neque enim dici
aliquid maius potest) primùm consolationis est
plurimum, ipsi Dei ministris, quod vitam cæle-
stem instituant, ab omni cupiditatis, & violenti-
æ specie remotam, ideòque iucundam, & li-
beram. Ipse enim dixit. Non te deseram, neque
derelinquam. Et, Cum misi vos sine sacco, & si-
ne pera, nunquid aliquid defuit vobis? Testis
huius rei locuples est M. Franciscus noster, qui
tanquam de alio loquatur, tantum diuinæ volu-
ptatis, & consolationis flumen in illa sua verè bea-
ta peregrinatione in animum influere solere affir-
mat, vt coegeretur à Deo petere, vt aut imbecillitati
suar parceret, aut si ita decreuisset, iuberet se vi-
tam commutare, quòd tantam vim cælestis dul-
cedinis ferre non posset. Id fortasse minus facile
credent homines: sed experti sciunt, quid acci-
pant, & nemo scit, nisi qui accipit. Deinde fru-
ctus ipse Euangelij merito speratur vberior, vbi
verbis facta non dissident, sed exemplo suo, man-
suetudine, paupertate, benignitate, Christi præ-
dicator vehementius pulsat animos, quam aures
quibusvis vocibus. Nihil Paulus audebat loqui
eorum, quæ per illum non efficeret Christus. Ad-
mirabilis est vita Euangelica, & oculos ad se om-
nium animosque ipsa nouitate conuertens; cum-
que intelligunt homines non sua, sed se queri,
tunc nescio quomodo, & se & sua libenter imper-
tunt.

Esa. 26.

Heb. 13.
Luc. 21.

Apo. 2.

Rom. 15.

III DE PROCYRANDA INDORVM
tium. Postremo quicquid molestiæ accidit, quicquid
quid difficultatis & periculi, mors denique ipsa
& quivis cruciatus, si tandem designetur in Christi
militem, videtur ad illius gloriam cumulan-
dam pertinere, neque tam in fugam vertere, quam
palmam offerre, & certaminum omnium fructum
preciosissimum Triumphum Crucis. Quæ cum ita
se habeant, plerique eorum; qui ad munus dila-
randi Euangelij excitantur, eam sortem felicior-
rem putant, vbi potest, vt dixi, Euangelium
Euangelicè prædicari. Atque in ea re non dubium
est, quin præclarè cum nostris magna ex parte in
India Orientali actum sit, in qua vere more Apo-
stolico licuit inter tot gentes Christum annun-
tiare Indis, Persis, Arabibus, Ethiopibus, Malau-
ribus, Iapponensibus, Sinesibus, & infinitis aliis.
Quam tamen Euangelizandi rationem si in
plerisque huius Occidentalis orbis gentibus ad
amissum tenere quis pergat, nihil aliud quam
amentia extremæ dammandus sit, neque imme-
rito. Experientia ipsa omni exceptione superior
testis rem abunde monstrauit. Nam vt de aliis ta-
ceam, sola terra illa Florida semel, atque iterum,
& tertio pacificè ad se venientes prædicatores,
inauditos indiçta causa trucidauit, quod & Do-
minicani probarunt, & nostri plus satis experti
sunt. Itaque institutum illud Apostolicum vbi ten-
neri commodè potest, nihil prius, neque melius.
Vbi autem non potest, vt ferè in omni barba-
rie res habet, non est prudentiæ, speciei iustitiæ
sanctioris committere, vt salutem ipse abijcias, &
alienam nihilo amplius compares. Mihi verò at-
tentius intuenti in hoc instituti genus, duæ
occurrere

SALVTE. LIBER II. 113
occurrere causa solent, ob quas Apostolica illa
Regula, & forma inter has nationes teneri exa-
ctè non posse videatur. Vna est satis nota, quod
hæ gentes sicut bestiarum moribus vtuntur, ita
humanitatis parum permittant, sine fœdere, sine
misericordia, provt quidvis collibitum est, ita tem-
erè agentes. In hospites, & externos nullum
gentium ius obseruantes cum ne inter se quidem
naturæ leges sciant. Quamobrem qui horum se
rationi, & arbitrio commiserit, poterit is cum
aptis & crocodilis amicitiam inire. Neque verò
ab istis Martyrium expectandum est, quæ fortassis
spes tantum discrimen leuaret, non enim pro Fi-
de, pro Christo, pro Religione moriendum est:
sed vt vel suauiores epulas de te præbeas, quod
Brasilienis, & toti Septentrionali oræ huius
orbis vulgare est, vel spoliū præbeas barbaris
elegans, vel denique quia visus es nunquam, &
quid in te sibi liceat, experiri iuuat. Apostoli præ-
dicabant Christum Iudæis quidem scandalum,
gentibus autem stultitiam, aliis sapientiam, aliis
signa querentibus: sed vtrique tamen ratione age-
bant: oderant verò illos propter nomen Christi,
atque ita beatos potius faciebat persecutio; per
quam etiam miro modo Dei gratia amplius dila-
tabatur. At barbari, excepto hoc quod homines
simus, nihil cogitant, imo illud quoque diu ad-
dubitasse non pauci comperiti sunt. Altera causa in
nobis est, cur Apostolica prædicatio institui om-
nino Apostolicè non possit, quod miraculorum
nulla facultas sit, quæ Apostoli plurima perpetra-
bant: quorum splendore & potentia freti, autho-
ritatem dicendi apud quosvis quicquid placebat,
H facile

AE. 10.
C. 14. C.
28.

AE. 13.

114 DE PROCVRANDA INDORVM
facile vendicabant. Habebant homines Dij si-
miles, atque ita cætera eorum paupertas, abiectio,
ignobilitas, increditio secularis, ornamento po-
tius erant, quam contemptui & fastidio, diuinam
eorum vim admirantibus, & prudenter iam inde
colligentibus gentibus, quam essent homines af-
fectibus superiores, & toti pene cælestes. Quod
de Sergio Paulo Proconsule viro prudente diuinæ
commendandum memoriæ putarunt. At nostri,
nunc temporis, cum tallium operum maiestate se-
se barbaris admirandos, & timendos non præ-
beant, nihil restat, nisi vt reliqua vitæ inopia &
impotentia penitus contemnatur, neque à gene-
roso & excelso animo sed à misera & aduertâ for-
tuna profecta intelligatur, atque aded cum sordidi
illiberalisque isti maxima ex parte sint, omnium
rerum penuria nostros consequatur necesse est. Et
si enim ob cibum Euangelizare non expedit sed
sine cibo tamen Euangelizari non potest. His ac-
cedit, quod perspecta nostrorum hominum avari-
tâ & ferocia ita hæ nationes percussæ sunt, vt sibi
consulendum putent, nostris vbicumque conce-
ditur, sine vilo discrimine interemptis. Non so-
lum ergo signorum vis nostris temporibus deest,
verum pro iis etiam scelera vbique ferunt. Quo
grauissimo incommodo interclusa ferè videtur
via ad primam illam penitus Apostolicam Euan-
gelizandi rationem: vt maiores societatis nostræ
sapienter edixerint, specie Euangelicæ perfectio-
nis non esse temerè arbitrio barbarorum, prædi-
catores Euangelij commitrendos. Quandiu enim
porcorum, & canum fociordiam, atque impuden-
tiam agnoscimus, nobis quoque à Christo Do-
mino

mino præceptum existimare debemus, ne pretio-
sas margaritas frustra mittamus ante eos, qui &
cas conculcent pedibus suis, & conuersi disrum-
pant nos.

CAPVT IX.

*Cur miracula in conuersione gentium non
fiant, nunc, vt olim, à Christi
Prædicatoribus.*

Mltos verò inter hæc illud quærere & ad-
mirari non temerè solere animaduerti,
quid sit, quod nostra ætate in prædicatione Euan-
gelij, apud nouas gentes miraculorum illa vis non
cernatur, quam Christus suis promisit, quæque ad
confirmanda super humana dogmata singulariter
efficax est. Nam & nationes innumerabiles sunt,
quarum salutem Deo esse charam dubitare non
possumus: & hæ, siquæ vnquam aliæ, externis si-
gnis & operibus prodigijs fidem commodare
plurquam dici queat, facile solent. Argumento est
mirabilis illa, & inaudita nostrorum hominum
peregrinatio in terra Florida, vbi ex immenso
naufragio quatuor illi homines tantum supersti-
tes Cabeça de vaca, Dorantes, Castillo, & quidam
alius, diuinitus gratia curationum donati & ope-
ra Apostolica perperantes, homines alioqui mili-
tares & profani, inter immanissimos barbaros
per totum decennium non solum illæsi seruari
sunt,

Mar. 16.

Barbari
act. 28.
prius
Paulum
homici-
dam, mox
Dei dice-
bât, quod
nihil la-
sus esset
à vipersa.

116 DE PROCURANDA INDORVM
sunt, verum infinitas populorum ceteras post se
agentes, itinera ad id temporis inaudita confere-
re ab Oceano Arctico vsque ad Antarteticum
mare penetrantes. Qua in peregrinatione, quem-
admodum eorum fide digni commentarij habent,
propter sanitatum operationes vitæque innocen-
tiam tantum admirationis, & gloriae apud barba-
ros sunt consecuti, vt propemodum adorarentur
pro diis, & quicquid imperaret, non aliter
quam de cælo profectum acciperetur. Quæ res
abundè monstrauit, vt eorum etiam quidam li-
teris prodidit, quam esset facilis, ac certa via ad
conuersionem gentium harum, vitæ innocentia,
præsertim signorum splendore decorata. Quid er-
go? Cur putamus Excelsi dexteram se continere,
neque quod facillimè potest, gratia miraculorum,
tot populos ad fidem trahere? Inuat interdum illa
Phphetica oratione exclamare ad Dominum,
Reel. 36. Misere nostri Deus omnium, & respice nos, &
ostende nobis lucem miserationum tuarum, &
immitte timorem tuum super gentes, quæ non
exquisierunt te, vt cognoscant, quia non est
Deus nisi tu, vt enarent magnalia tua. Alleua
manum tuam super gentes alienas, vt videant po-
tentiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum
sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro
magnificaberis in eis: vt cognoscant te, sicut &
nos cognouimus, quoniam non est Deus præter
te Domine. Innoua signa, & immuta mirabilia,
glorifica manum, & brachium dextrum, & reli-
qua. Atque hæc sanè oratio huic temporis, &
negotio non aliena videretur. Verùm cur tanta fi-
gnorum parcitas sit, cum videatur tam esse effusa
necessi

SALVTE. LIBER II. 117
necessitas, merito cruciat animum. Etsi enim
Apostolica tempora vberiore Spiritus Sæcti dono
ditata sunt, & Spiritus primitias habuerunt; ta-
men non itatim cum sæculo illo primo euauit
potestas signorum. Ecclesiastica historiae narrat
tempore Constantini Magni totam Iberiam Pro-
uinciam; quæ est Armenia proxima, Christianæ
mulieris captiua opera, & signis, ad Christum
esse conuertam. Legimus in historiis Anglorum
quot & quam magna per Augustinum, & Iu-
stum, & Mellitum, cæterosque monachos mira-
cula Christus ediderit, & magni Gregorij in hæc
causa testimonium tenemus, quod gentium sa-
luti Deus tanta indulgeret. Cur ergo nostra tem-
pora deserta sunt, quibus tanta orbis portio in-
notuit, vt cum ea Anglia vnica si confectatur,
vix domus exigua ad ingentem urbem futura sit
Multos ergo, vt dixi, ad hunc modum secum cogi-
tantes, pia hæc neque indocta questio tenet.
Mihî verò illud Augustini opportunè occurrit, *Aug. lib.*
qui cum commemorasset paulò ante, diuinam *83. q.*
vocationem interdum signis externis aliquando *2. 68.*
interno potius impulsu fieri, mox adiungit, Hæc
autem vocatio quæ suæ in singulis hominibus,
siue in populis, atque in ipsò genere humano per
temporum opportunitates operatur, altè & pro-
fundè ordinationis est. Quis enim cognouit sen-
sum Domini, aut cum quo inicit consilium? Po-
pulum Israël sibi charum, inicitio de seruitute
Ægypti Pharaone toties proligato ingentibus
prodigijs eripuit; eundem populum longè post
de Babylonia captiuitate patriæ restituit non ita
magnis operibus perpetratis: illuc quidem per
H 3 Moysen,

Agg. 1. & 2. *Moyſen*, & *Aaron*, hic per *Zorobabel* & *Ieſum*
 2. *neque* tamen minus ſe mirabilem prædicari vult
 3. *Zach. 1.* ſecundo iſto reditu quam primo illo ingreſſu in
 3. *Eſdr. 5.* terram promiſſionis. Proinde *Hieremias* loquitur,
Hier. 16. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur
 ultra, *Viuſit Dominus*, qui eduxit filios *Iſraël* de
 terra *Ægypti*, ſed viuſit Dominus, qui eduxit fi-
 lios *Iſraël* de terra *Aquilonis*, & de vniuerſis ter-
 ris ad quas eieceram eos. Cui rei non diſſimile
 mihi videtur, quòd *Eccleſiam* ſuam olim in ipſis
Euangelij cunabulis, multorum ſignorum & va-
 riorum chariſmatum copia congregauerit, ean-
 dem modo de gentibus non minus mirabiliter
 mirabilium paritate colligit, diuerſa tempora
 ſecundum altiſſimas ſapientia: ſuæ leges diuerſis
 rationibus adminiſtrans. Attamen in re obſcura,
 quantum ſapere datur, non nihil etiam rationis in-
 uenire poteſt humana cogitatio, modo ſobriè
 quærat, in charitate primum radicata & fundata,
 1. *Ephes. 3.* vt poſſit comprehendere. Ac mihi quidem aliquo-
 ties iſta animo repetenti tam reſpicua diuerſita-
 tis in poteſtate ſignorum, illa occurrere cauſa ſo-
 let, quod præcis temporibus omnino neceſſaria
 fuerint, noſtris non item. Etenim fides myſterio-
 rum ſublimum omnem humanam rationem ſu-
 perantium aſtruenda tuoc erat apud homines
 maximè ratione ſua cuncta metientes, & ad ſo-
 litos calculos reuocantes, Græcos, inquam, atque
 Romanos, cæteroſque illa maximè ætate ſapientia
 huius ſæculi florescentes. His quomodo per homines
 paucos, ignobiles, imperitos perſuaderi poſſet, do-
 1. *Cor. 1.*ctrina omnibus humani ingenij viribus valiſſi-
 mè obſiſtens, quam proinde ſtultitiam Dei Apo-
 ſtolus

ſtolus vocat, niſi diuina quædam, atque inelu-
 çtabilis euiciffet authoritas, conteſtante Deo ſi-
 gnis, & prodigijs, & varijs chariſmaticis: Quod
 etiam *Paulus* *Apoſtolus* ſæpè commendat. Sermo
 meus, inquit, & prædicatio mea non in perſua-
 ſibilibus humane ſapientia: verbis, ſed in oſten-
 ſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in
 ſapientia hominum, ſed in virtute Dei, & alio in
 loco, Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute
 ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurre-
 ctione mortuorum *Ieſu* *Chriſti* Domini noſtri,
 per quem accepimus gratiam & *Apoſtolatum* ad
 obediendum fidei in omnibus gentibus. Ita reli-
 gio *Chriſtiana*, vbi humana præſidia proliſ abe-
 rant, diuini eſt fundata miraculis. At noſtro-
 rum temporum longè alia ratio eſt. Nam & ij,
 quibus fides annuntiat, omnibus rebus infe-
 riores ſunt, ratione, cultu, authoritate: & ij,
 qui annuntiant antiquitate religionis ſuæ, multi-
 tudine ſuorum, ingenio, elegantia, cæteriſque
 copijs ad perſuadendum superiores ſunt, & abun-
 dant. Neque barbarorum ingenia ea ſunt, quæ
 fidei difficultatibus terreantur, cum à maioribus
 ſuis obſeruent ipſi longe incredibilia. Ac reuera
 ſi *Chriſtus* annuntietur, vt opus eſt, obſequentes
 & ad credendum faciles ſe exhibent. Denique
 quid magnorum ſignorum confirmatione opus
 eſt; vbi potius deſideratur acutior intelligentia,
 quæ altitudinem doctrinæ noſtræ aliqua curioſi-
 tate diſquiret? Vnum illud his gentibus huic
 nouo orbi potentiſſimum, & ad Fidem efficaciſ-
 ſimum ac pene ſingulare miraculum neceſſarium
 eſt, mores cum Fide congruentes. Hoc & abundè
 H 4 ſufficit.

120 DE PROCURANDA INDORVM
sufficit, & omnibus concessum est, modo velint.
In hoc argumento explicando de signorum rari-
tate, mihi sic versatur S. Iohannes Chrysostomus in
epistola priori ad Corinthios tractans illa verba
Apostoli, vt Fides vestra non sit in sapientia homi-
num, sed in virtute Dei. Ac primum quidem
monstrat signa Euangelicæ prædicationis initio
parata Fidem non illi solum sæculo, sed & futuri-
s peperisse. Si enim illa tunc perfecta creduntur,
certum est, doctrinam, cui confirmandæ adhibe-
bantur, diuinitus, esse profectam & inspiratam, sin
autem historiam, ac veritati signorum minus genti-
lis credat, at longè omnibus signis maius est, ho-
mines paucos, ignobiles, illiteratos, omnibus mor-
talibus exolos toti orbi persuasisse Religionem
adeo intellectu arduam, & omnibus affectibus
oppositam, quam neque ratione firmarent, neque
potentia defenderent, neque visibili aliquo præ-
mio persuaderent. Non ergo Fides iam satis fun-
data miraculis, nouis indiget confirmari, quin po-
tius vtilius esse asserit signis nunc carere, quo-
niam maioris meriti sit. Postremo, id quod de vi-
tæ integritate ad fidem conciliandam Euangelio
admonui, adeo confirmat, vt dicat, Quod etsi in
præsentia signa viderentur, quis tamen persuaderet:
Quis externorum aures nobis accommodaret,
cum tantopere increbrescat malitia: Etenim pro-
bata Christianorum vita maiorem apud multos
authoritatem sibi vendicabit, quam signa. Siqui-
dem hæc apud impudentes, & malos homines
malam concitant opinionem. Vita autem pura,
etiam ipsum Diaboli os maiorem in modum ob-
struere poterit. Hæc ille. Quibus ego addiderim
inter

1. Cor. 2.

Chryso-
6. in 1. ad
Corinth.

SALVTE. LIBER II. 121
inter Apostolica signa ad subuigandum orbem in
obsequium Christi hoc maximum extitisse. 1. Cor. 12
Signa, inquit Paulus, Apostolorum nostri facta sunt
super vos: in omni patientia in signis, & prodigi-
is, & virtutibus. Vide, obsecro te, quid loquatur,
vbi inter signa Apostolorum nostrum locum tri-
buit Patientiæ, secundum miraculis, & prodigi-
is. Atque ad Thesalonicensis, Ipsi scitis, fratres, 1. Thes. 2.
introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit,
sed ante passus, & contumeliosis affectis, & cætera,
vbi qualis fuerit vita, qui mores, quam ab auaritia,
ab adulatione, à fastu omni remoti, id verò pro-
certo, & insuperabili veritatis annuntiæ testimo-
nio profert. Sit vita pura, & innocens, in Christi præ-
dicatore: & hæc signorum omnium vim obtinebit.

CAPVT X.

*Quod etiam exiguo merito Prædicato-
rum, signorum paruas aliqua
ex parte attribuenda sit.*

QVod si quis præter allatam rationem, am-
plius adhuc requirat, accipiat etiam alte-
ram. Miracula quidem etiam per homines à cha-
ritate Dei alienos effici posse, notior res est, quam
vt longa probatione indigeat. Habes Paulum di-
centem, si habuero omnem fidem, ita vt montes
transferam, charitatem autem non habuero, nihil
sum. Habes ipsum Dominum perspicuè docen-
tem. Multi dicent mihi in illa die, Nonne in no-
mine 1. Cor. 13
Mat. 7.

mine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus? Quibus ipse respondebit, Amen dico vobis, nescio vos: Discedite à me operarij iniquitatis. Quo in loco Basilius Magnus, & author de Ecclesiasticis dogmatibus seriò mouent vitæ potius fidendum esse quàm signis, quod his interdum etiam peccatores abundant. Nam & ille in Euangelio daemones expellebat, qui Christum non sequebatur. Hæc quamquam ita se habent, tamen non dubium est, quin frequentissimum sit, & veluti lege fixum, vt quo quis fide & sanctitate magis eminuerit, eo aptius instrumentum sit, per quod Spiritus sanctus tam præclara opera perpetret. Vix enim inter multos vnus occurret, qui vera signorum gloria claruerit, qui non idem egregia fide opus Domini operatus sit. Cum enim Apostoli etiam semicinctia ac sudaria magna in oppressis peragerent, scænz cuiusdam filij viribus maiora conantes, etiam si Christum inuocarent, & Paulum commemorarent, tamen iustè audierunt sibi à malignis spiritibus responderi, Iesum nouimus, & Paulum scimus: vos verò qui estis? Quo factò nos admonitos scriptura voluit, etiam si Christi nomen ad prostrigandos hostes ex corporibus humanis satis potens esset, sed tamen malorum meritis impediri sæpe rem tantam. Quid ergo mirum, si rara illa, & admiranda testimonia aufugerint, si signa nostra vt est in Psalmo, non videamus, neque sit Propheta in terra, vbi fides exigua est, vbi charitas refrigerat, rarissime omnino est, qui patrem animi cum corpore curam gerat, & celebretur ille pro sancto, qui paulò studiosius pueriles carnis illecebras, & sæculi

Augu.
lib. 8. c. 9.
9. 79. sic.
s.

Luc. 9.

Ab. 19.

Ps. 73.

euli vanitates ab se abdicauit? Equidem non dubito si illa priorum prisca fides, si pietas, spiritusque feruor ille rediret, quin prisca etiam opera spectaturi essemus. Conuertamus oculos in nostri sæculi hominem B. Magistrum Franciscum, virum Apostolicæ vitæ, cuius tot, & tam magna signa referuntur per plurimos, eosque idoneos testes, vt vix de alio, exceptis Apostolis, plura, aut maiora legantur. Quid M. Gaspar, aliique socij non pauci in India Orientali, quantum diuinæ magnificentiz laudem nouis conuertendis populis operibus admirabilibus pepererint? Quod in alijs sacrorum Ordinum viris perfectum etiam est, & in nostra quoque Occidentali India non omnino inusitatum. Verè humilibus dat gratiam Deus. Atque vt eos canales infundendo liquor sapiens artifex eligit, qui neque comminuti, neque viciati aliqua ex parte sint, ne humorem insulsum, vel non transmittant quo oportet, vel propria affectione corrumpant: ita profecto Spiritus sanctus ad suam potentiam, & gloriam declarandam, eius puritatis viros, atque humilitatis assumit, qui nihil sibi sumentes, totum Deo cuius est omne donum perfectum, & saluti proximorum sincèrè resundant. Quod quia magnum, & rarum est, ita scilicet, Deo esse fidelem, vt neque in magno, neque in paruo Dei gloriam sibi quis suffuretur, idcirco rara etiam sunt talia dona. Si enim in iniquo mammona infideles estis, aut veritas, quod vestrum est, quis crederet vobis? Hoc profundè significans, quod qui etiam de puerilibus, & sæcularibus superbumus, de opibus, de genere, de elegantia, quod vocat

Luc. 4.
1. Pet. 5.

Luc. 16.

124 DE PROCVRANDA INDORVM
vocat iniquum mammona, & alienum, quia
verè, neque nostrum est, neque iusto dignum,
quomodo non magis intumescemus, si spiritus
dona illa magna, & præclara nostræ fidei com-
mittantur? Atque has ego duas præcipuas esse
causas reputare soleo in raritate signorum: & al-
teram diuinæ esse iustitiæ, alteram sapientiæ,
quibus suprema illa, & inexhausta potentia
quodammodo cohibetur, atque libratur, ne se
secundum diuitias suas effundat. In omnibus verò
bonitatem superexcedentè considerare licet, quæ
etiam hoc ipsum quod minus præstare, atque in-
dulgere videtur, ad hominum certam salutem
accommodat, atque conuertit. Ipsi gloria in sæ-
cula. Amen.

CAPVT XI.

De Predicatione inter eos qui Fidem iam receperunt.

IGitur motem illum Apostolicum Euangeli-
zandi ubi nominatus Christus non est, ut om-
nium beatissimum, ubicumque licet, retinen-
dum esse, ubi id vero minus conceditur propter
malitiam; vel regionum, vel hominum, saltem
suspirandum, & quoad eius fieri potest, imitan-
dum, satis, ut reor, monstratum est. Sequitur ut
de eo prædicandi genere differamus, in quo au-
ditores iam utcumque Christianos offendimus,
& legibus nostris subiectos. Id quod est modo
vñ tatus

125
SALVTE. LIBER II.
vltarius, propterea quod non tam nouis regioni-
bus inuestigandis, quam olim repertis excolen-
dis, magis inuigilare hominum studia cøpère.
Qua in re duo præcipienda videntur. Vnum, ut
Principum ciuili iurisdictioni minime resistatur.
Alterum ut in Ecclesiastica cura religioso, & ma-
gno animo perseueretur. Nihil perinde instru-
ctioni, & saluti Indorum nocere competum est,
atque peruetnam quandam, & malignam pote-
statem temporalis, & spiritualis concertatio-
nem, aut imminutionem, aut quoquomodo of-
fensionem. Atque, ut de cæteris modo magistra-
tibus secularibus tacemus, certè grauius er-
rant quidam specie fortasse pietatis, ius regium,
& administrationem vocantes in dubium, qua-
rentes interdum, quo titulo, & iure Hispani do-
minentur Indis? Num hæreditario iure ad nos
deuoluti sint, an bello iusto subiecti? Quæ sanè
disputatio eò pertinet, ut administrationis Indi-
cæ, vel tollatur, vel certè debilitetur authoritas,
quo semel si gradus fiat, quanta sit futura perni-
cias, quæ perturbatio rerum omnium consequatur,
dici vix potest. Neque verò id ego modò
suscipiam, ut bella, bellorumque gestorum ra-
tiones defendam, atque omnes illos superiorum
temporum turbines. Illud religiosè & vtiliter
moneo non oportere in hac causa amplius disce-
ptare, sed veluti præscriptum iam sit, optima fide
agere debere Christi seruum. Neque alia subli-
rior petenda est causæ euictio, quam quòd, ut de-
mus quam maximè peccatum esse in usurpatione
dominatus Indici; tamen neque restitui iam
potest (cui enim, aut quibus modis?) neque si
maximè

maximè possit, Fidei Christianæ semel susceptæ
evidens iniuria, & periculum, id vilo modo pate-
retur. Nam etsi infideles ad Fidem profitendam
cogi violenter ab alienis præsertim principibus,
disciplina Christiana grauissimè detestatur, &
prohibet: eadem tamen ipsa religionem semel,
siue iure, siue iniuria susceptam, nullo modo de-
serendam esse, & desertores coercendos esse se-
uerè decernit. Qua de re extant Patrum antiqua
decreta in Concilio Toletano, Oportet, inquit,
vt Fidem etiam, quam vi, vel necessitate susceperunt,
tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur,
& Fides, quam susceperunt, contemptibilis habeatur. Plus enim habet iuris, vt
Augustinus censet, quod in eis Dominicus charac-
ter agnoscitur. Adde, quod subditorum non est
istà examinare, sed honorem potius omnem de-
ferre Principibus. Certè Cæsarium dominatus in
orbem inuectus, si quis exactius discutiatur, maxi-
ma ex parte tyrannicus fuit, neque tamen Paulus,
& Petrus eorum potentia resistendum docuerunt,
quin potius honorem, obedientiam ac
tributa reddenda diligenter præcipiunt, idque
non solum propter iram, sed etiam propter conscien-
tiam. Ac licet aliis gentibus iure aliquo imperarent
Romani, at in Iudæos iniuriosè profectò irruerant:
tamen Christus Dominus, neque censum, neque tributa
reprehendit, sed soluit ipse quoque libertate sua non vtens,
cum esset filius summi Regis. Et cum multa in Herode
Ioannes Baptistæ acriter obiurgaret, potentiam tamen
nunquam increpuit, imo verò milites stipendia
Romana, qualis est in Actis Apostolorum, ille

Centu

Centurio, rectè meriti sanxit. Denique & magna-
rum opum & Regnorum maximè iura, cum sæpe
per iniuriam introducta sint, tamen videmus in
sacris literis in principibus sua imperia constare,
& subditos obedientiam doceri. Igitur siue iniu-
ria vsurpatus sit dominatus Indicus, siue quod
magis existimandum, & prædicandum est, quan-
tum attinet ad Regum administrationem, iure &
ordine, nequaquam expedit Indorum admini-
strationem, quæ illis vtilissima est ad salutem æter-
nam, Christianis principibus derogare. Hoc sibi
cum persuaserit Evangelicus operarius, poterit
siue vlla offensione, & scrupulo in hanc latissi-
mam segetem falcem mittere: & tam de salute
Indorum, quam illos administrantium in Christo
cogitare, atque operam suam omnem impendere
fideliter, ingressurus sine dubio vastissimam quan-
dam syluam, multis quidem asperitatibus horri-
bilem, sed tamen fertilitati Euangelicæ commo-
dissimam, modo zelus Dei vigeat, & tolerantia
non desit cum fiducia coniuncta. Et quoniam,
quod ad caput alterum attinet de Ecclesiastica,
& religiosa disciplina conseruanda tam in nostra-
tes, quam in ipsos Indos, vbi iam Fides Christi
suscepta est, prolixiorum orationem desiderat,
tractanda res est vberius consequentibus libris.
Modo illud maneat, vt in militari disciplina res
habet, non rectè prouinciam aliquam expugna-
ri, & in ditionem redigi, nisi deducta colonia, &
præsidio imposito, gradus figurat, ita profectò in
horum infidelium conuersione, nihil sperandum
esse lucri, nisi obfirmato animo, iis corripiendis,
instruendis, atque ad perfectum vsque promo-
uendis

118 DE PROCVRANDA INDORVM
uendis consilia, curæ, conatûque omnes admo-
ueantur. Neque enim repente quicquam legitima
incrementa suscipit.

CAPVT XII.

De expeditionibus necessariis ad prædi- candum barbaris Euangelium.

QVoniã constat antiquo, & Apostolico
more non posse plerisque infideles obiri,
& debellari barbaros prius, vt mox domiti reli-
gionem Christianam recipiant, multis, & ma-
gnis rationibus peruersum esse monstrauimus,
non exiguæ occurrere videntur angustia, quo-
nam modo, & via verbum Dei ad nouas natio-
nes peruenire queat. Sed quia omnibus gentibus
prædicari Euangelium oportet secundum Salua-
toris præceptum, & prædicationem, & nulla est
hominum portio, quam incurabilem reliquerit
summus conditor, colligitur, nouo aliquo Euan-
gelizandi genere vtendum esse, nouo quoque
hominum generi accommodato. Vt enim barba-
ri, veluti mixta humana & ferina natura con-
stant, vt moribus non tam homines, quam ho-
minum moustra videantur, sic quæ cum illis in-
stituenda est consuetudo, partim humana & li-
beralis, partim subhorrida, & ferox sit, necesse
est, vsque dum natia illa sua feritate deposita,
paulatim mansuescere incipiant, & ad discipli-
nam humanitatẽque traduci. Non igitur ne-
gligenda

gligenda est accuratior de expeditionibus tracta-
tio, quibus, vel incognitæ nationes exploran-
tur, vel iam exploratæ aduentur, idque sæpius na-
uigatione prolata, interdum terrestri itinere.
Quo in vtroque genere in hoc Occidentali or-
be, atque Oceano Antartico nouæ quotidie
gentes, & hucvsque inauditæ occurrunt, qua-
rum salus nullo modo contemni potest. Simul
ergo proficisci oportet viros militares, necessa-
ria humanæ vitæ præsidia in tam longa, tamque
periculosa peregrinatione ferentes, simul vitæ
æternæ præcones, castris Christi militantes, vt
diabolica tyrannide captas animas Deo expu-
gnent. Id ita coniuncto officio oportere fieri,
non solum ratio docuit, verum ipsa iam longo
vsu comparata experientia. Quare si qua spes est
salutis barbarorum, in his certè expeditioni-
bus posita est. De quibus primum quod ad mili-
tariæ leges spectat secundum omnium supremam
Dei legem, dicendum erit: deinde quod ad præ-
dicationem conuersionemque gentium pertinere 1. Cor. 15.
arbitrabimur. Prius enim quod animale est, de-
inde quod spirituale. Tria igitur quæri posse vi-
dentur, Primum quo iure, quæue ratione nouæ
expeditiones in barbarorum terras suscipiantur:
tum quid in iis fas sit agere nostris: postremo qui-
bus iniuriis lacerati Christiani possint sibi barba-
ros subijcere, vel bello vel vi.

CAPVT XIII.

Quo iure Christiani expeditiones facere possint in regna barbarorum.

REgna igitur barbarorum quo iure Christiani adierint, adireve possint, si quis ex me quaerat, facile responsurus sum non alio opus esse quam ipso communi naturae, quod homines sint. Peregrinari cuius quocunque fas est: nefas vero hospitem pacatum, neque laedentem, neque suspectum communi solo excludere. Quamobrem leges illae Chinesiium, quae capitis supplicium in hospites iniuncti Regis venientes statuunt, iniquae profecto sunt, & ab omni humanitate alienae. Nam ut nihil aliud, certe innatus amor noua discendi, atque experiendi, ius cuique facit, ut remotissima quaeque, si libeat, oculis, atque animo lustrat, quod ad rerum humanarum, atque etiam physicarum prudentiam non parum conferre cenluit Poeta, qui sagacissimi viri laudes exordiens: Qui mores hominum, inquit, multorum vidit, & vrbes. Itaque hostibus tanquam poena dignis aditum ad nos pracludimus, caeteris non item, nisi merito in suspicionem veniant. Iam vero mercaturae artis hoc proprium est, ut quae apud suos abundant, deferant ad externos, & quibus vicissim illi circumfluunt, reportent suis. Ita enim communis nostri generis auctor mortales omnes inter se sociandos

*HOMERUS
in Iliade
Odyssea,
v. 1. 1. 1.
Hera-
clitus.*

dos, & quadam communiōne in officio retinendos existimauit, si sibi essent vicissim opportuni, & commodi. Atque ut in hominum ingenii alios alia curare cernimus, ut hic calceos parat, ille contra domum adificet, ita ipsas orbis terrarum regiones suo quoque quodam federe coniunxit, dum rerum aliarum aliis atque aliis feracitatem attribuit, nec felicitatis humanae esse censuit, quod ille cecinit:

Omnis feret omnia tellus.

Virgil.

Auri atque argenti haud scio an ditior villa regio possit concurrere hoc ipso Piro, aliarum pene omnium rerum olim summopere indigente. Alibi metalla, alibi gemmae abundant, alibi ligna, piper, herbae medicinales, lana, serica, artificia, & id genus sexcenta. Qui ergo commoditates suas, nauigantes aut peregrinantes apud exteros quaerunt, illis vicissim viles futuri, operae pretium facere quis non videat? At in istis, dicit aliquis, cupiditas potius regnat, & immoderata rapacitas, sicut & illis aliis perniciose saepe curiositas aut ostentatio potius, quam vtile aliquid discendi communicandive studium. Neque humanitatis est officium, sed auaritia stus, qua feruntur. Quis hoc neget? At modo non quid vitiositas hominum habeat, sed quid ipsa communis utilitas concedat, expendimus. Licet ergo, licet sine vlla dubitatione barbarorum fines penetrare, idque si remuant nulla vel accepta vel merito expectata iniuria, iniqui sunt. Verum his sepositis rationibus, quas habet ipsa natura communes, est omnino singularis quaedam causa Christianis, & ab ipso

332 DE PROCURANDA INDORVM
ipſo omnium conditore ius conditum, vt quæ
à Deo didicerunt, doceant ipſi ceteros moita-
les, quorum ſalutem optare & quaerere debent.
Matt. 16. Qui ergo dixit, Ite in mundum vniuerſum, &
predicare Euangelium omni creaturae, is certè
aditum liberum quocunq; terrarum aperuit,
quem qui nobis præcludere velint, & ſummi Dei
præcones ac legatos inauditos à ſe relegant, non
ſolum contra ſalutem ſuam hæc re putandi ſunt,
verum etiam inſignem Chriſtiane Reip. contu-
meliam irrogare. Quod ſi barbari prædicatione
Euangelica commonendi excitandiq; ſunt, ne-
que id fieri vnius, & alterius Sacerdotis peregri-
natione permittit, vel ipſorum ingenium ferox,
vel regionum immenſa diſtantia, neceſſario præ-
ſidio deſtituta, perſpicuum eſt complurium ho-
minum cætu, & rerum opportunarum apparatu
opus eſſe: quæ ſanè duo in Expeditionis ratione
continentur. Nouas ergo ſiue Expeditiones, ſiue
profectiones, ſiue alio melius vocabulo appelles,
ad Indorum terras, conuiſumq; explorandum,
eſſe æquitatis, & officij plenas, ſi genus ipſum per
ſe ſpectetur, ſatis ex his perſuaſum puto. Ariſto-
teles quidem in Politicis ſuis, Peregrinis non ad-
modum fauere videtur. Seditiones, inquit, con-
citant peregrinitas, donec in eandem ſimul conſpi-
rationem deuenit. Quapropter quicumque
adhuc inquilinos ſuſceperunt, vel aduenas, omnes
ſerè ſeditionibus iactati ſunt, cuius documen-
ti exempla plurima accumulât. Cæterum & ſi
rectè ac perfectè inſtitutis ciuitatibus peregri-
norum turba meritò ſuſpecta eſſe debeat, ac
proinde purgatio aliqua iuſta ſit, tamen barbaro-
rum

*Ariſtot.
3. Pol. c. 3.*

SALVTE. LIBER II. 133
rum alia longè ratio eſt, qui vel ob hoc ipſum ex-
ternis indigent, vt eorum Reſpub. rectè conſti-
tuantur, imo verò vt poſſint ſeo nomine dignam
habere Reſpub. quippe cum ſerarum magis ri-
tu vitam agant, quos ad ſocietatem legeſq; na-
turae accommodatas attrahere, & reluctantes
quodammodo compellere, ſecluſa tamen ſerui-
tute, & cæde, porius officio aſſignandum eſt.
Quod viſque adeo certum habuit Philoſophus, vt
barbaros homines parère nolentes, bello etiam
domare, iuſtum natura decernat, quod nos ita
temperamus, vt capi quidem, aut cædi, aut
proſtigari barbaros nequaquam ſinamus, pro-
pterea quòd naturalem ſeruitutem nullam agnoſ-
cimus, ſed tamen melioribus, & ſapientioribus
pro ſua ſalute docendos ac regendos, non illi-
beraliter committamus.

*Ariſtot.
Polit. 5.*

CAPVT XIV.

*Quid in terris barbarorum,
Chriſtianis liceat.*

Vnde ſit conſequens ea omnia, quæ huic
ſini honeſtè præſcripto neceſſaria ſunt, ipſa
lege natura, & Chriſti, noſtris apud illos lice-
re, imò verò etiam expedire, modò id quod
vbique quidem, ſed in hac maxime cauſa ſer-
uandum eſt, modus adhibeatur, vt ne quid ni-
mis. Quoniam ergo natura barbarorum eſt ma-
ximè inconstans, atque inſida, opus eſt, vt qui
apud illos verſantur, ſecuritati ſuæ conſulant, &

I ; neque